[C]ertum sit hoc scire volentibus quod placitum fuit inter A. de Villademagno ex una parte et
dominam Justianam uxorem Petri de Zuaria ex altera de honore sive Castro de Tornellis et de
Septem Casis, coram B. de Gallinariis officiali domini G. Gerunden. episcopi. In quo placito
talem dictus A. contra dictam dominam Justianam optulit libellum. Pono ego A. de Villade-
magno quod R. de Villamulorum obligavit certo pignori domine Justiane Castrum de To-
rnellis et honorem de Septem Casis cum suis tenedoribus et pertinenciis pro quadam
pecunie quantitate. Cumque honorem et castrum dictus R. de Villa de Mulis dicte domine Ray-
munde de Mota cluso in suo testamento legavit. Unde cum de fructibus seu prove-
ntibus ipsius honoris sit ei satisfactum ultra, et ego A. habeam locum et jura G.
de Mota cluso filii et heredis ipsius domine Raymunde, peto dictum honorem et castrum
et quod ultra dicta domina Justiana inde recepit mihi restitui, salvo jure addendi etc.
Cui parte adversa responsum fuit quod non crederent dictam dominam R. de Mota clu-
so ut dictum G. filium eius locum dicti R. de Villa de Mulis cuius dictus honor fuerat
habere, ut unquam habuisse. Unde de dicto honore non tenebatur in aliquo respondere eidem.
Quibus auditis, interlocutus fuit dictus officialis dictum A. debere probare quod dicta domina
Raymunda ut G. filius eius, quorum locum se habere dicebat, locum dicti R. de Villa
de Mulis haberet. Et quia in ea citacione et die peremptorie assignata et legiti-
mis dilacionibus et diebus datis et assignatis per se vel per alium in judicio non com-
paruit, nec probavit quod dicta domina Raymunda ut G. filius eius locum in hoc facto
dicti R. de Villa de Mulis haberet, dominus G. Gerunden. episcopus et dictus B. officialis
super dictam dominam Justianam ab observacione judicii absolverunt, et A. de Villa
de Magno audienciam denegarunt ad suam peticionem non admittentes eundem.
Actum est hoc VII idus Octobris anno Domini M CC XXXVII.

Sig+num [illegible] Gerunden. episcopi.

Guillelmus de Orto capellanus domini episcopi testis.

S[ignum] [illegible] de Gall. officialis domini [illegible] episcopi [illegible].

S[ignum] Guillelmi notarii domini episcopi qui scripsit [illegible] anno et die quibus supra.

N 31 n.º 118 7-11-1287

CTORS

f. 44

Sot casas.

[illegible] [illegible] la que [illegible] par com [illegible] de vila
de [illegible] feu demanda de [illegible] del [illegible]
de [illegible] y del castell de [illegible] y de na
nava [illegible] [illegible] [illegible] de dexar
en [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] que dita
Justiana fou [illegible] en la possessio
per quant [illegible] de [illegible] [illegible]

T. 27 x 16

A C/387 N.º 12 del plec de Setcasas

(110)

per la [illegible]